

lignum etc. Presbytero ass. *librum tenente.* *Ibid.* c. XXV. n. 23.

Episcopus stans facit benedictionem candelarum (in *Purif.* B. V. M.) Capellano, qui de illo servit, librum sustinente manibus. *Ibid.* c. XVI. n. 7.

b) Obligatio.

Vd.: *Assistens; Episcop. ass. missae sol. (Assistentes); Bugia Episcopi; Ministri in Pontificalib.; Bugia Episcopi.*

Capellani Metropolitanae (Januen.) de Massa nuncupati tenentur Archiepiscopo actualiter celebranti tenere librum et bugiam. n. 3997 ad 4 die 3. Mart. 1731.

Cum Episcopus in missis sol. *praesens est*, quamvis ipsemet Officium minime faciat, *sive sit pluviali et mitra seu tantummodo cappa pontif. indutus*, tenendus est prope ipsum liber Missalis, quem aliquis ipsius Minister cotta indutus, custodiet et, cum opus erit, illud super caput apertum tenens offeret ante Episcopum, accedente cum eo regulariter ad dexteram altero ministro de bugia.

Episcopus ex libro legit: *Introitum, Epistolam, Graduale, Alleluja, Sequentiam sive Tractum et caetera usque ad Evangelium inclusive; Offertor., Postcommunio.*

Quod si forte interesset aliquis Cardinalis sive Legatus de latere, sive non, aut aliquis Praelatus ipso Episcopo superior, ut suus Metropolitanus aut Nuntius ap. habens in eo loco facultates Legati de latere, tunc ob eorum reverentiam Episcopus libro non utetur. *Caer. Ep.* l. I. c. XX. n. 1—3.

Episcopus incipiet benedictionem palmarum Capellano librum sustinente. *Ibid.* l. II. c. XXI. n. 4.

5) De libro Parochi.

Ad dubium: an celebrans parochus possit habere ante se legile vel ali-

quem, qui teneat librum? S. C. resp.: *Affirmative.* n. 2912 ad 5 die 24. Febr. 1680.

MINISTRANTES.

Vd.: *Missae priv. Dignitar. etc. (minister); Missale (aperit.) Calix (tractatio); Mulier.*

Pueris in missis privatis cum cottis inservientes *convenire* saltem primam tonsuram habere, dummodo per aetatem ejusdem tonsurae sunt capaces. n. 172 ad 7 die 23. Nov. 1602.

In missis priv. permitti non potest Ministro, si fuerit Sacerdos vel Diaconus sive Subdiaconus, ut praeparet calicem et ipsum extergat in fine post ablationem sicut in missa solemni. n. 4526 ad 12 die 7. Sept. 1816.

Ad dubium: In missa conv. potestne tolerari, ut assistens seu serviens de altari sit laicus et quatenus debeat esse clericus, hunc debet necne cotta indui?

S. C. resp.: Inservientem missae conv. esse debere clericum cum cotta. Die 7. Sept. 1861.

MINISTRI IN PONTIFICALIBUS.

Cf.: *Genusflexio Ministr.; Suffraganeus celebrans (Ministri etc.); Episcop. Administrator (Ministri etc.); Beneficiati (Ministri etc.); Thuriferar. (quis); Minister de libro Episcopi; Bugia Episcopi; Diaconus et Subd. Episcopi; Subcollectores; Diaconi ass. Episcopi in Cathedr. (decr. n. 1042); Genusflex. (ante Episcop. decr. n. 4168.)*

Sacerdotes simplices de numero non participant neque de gremio Capituli et nullis gaudentes emolumentis et distributionibus non posse cogi inservire Ecclesiae Episcopo pontificaliter celebrante. n. 2467 die 16. Febr. 1669; n. 2996 die 26. Sept. 1682.

Ad idem dubium S. C. sub n. 3003 die 28. Novb. 1682 ita resp.: *In casu, de quo agitur, cogendos esse et recedendum a decis.*

MISEREATUR.

(Mutatio.)

Vd.: *Confiteor* (Mutatio, decr. 4669.)

MISERERE.

1) In administrat. ss. Viatici.

Vd.: *Missa* (interrupta per administ. ss. Viatici.)

2) In sacro Triduo.

Miserere mei Deus etc. in Matut. tenebrarum modulata sed flebili voce canitur. *Caer. Ep.* l. II. c. XXII. n. 13.

MISSA.

1) Abbreviatio.

Sacerdos, qui celebrat missam conv., in qua chorus tenetur cantare Symbolum, non potest eam prosequi eo tempore, quo a choro cantatur Symbolum. S. R. C. 17. Decbr. 1695; 13. Sept. 1630.

Ad dubium: An tolerandus sit usus quod in missis cum cantu praetermittatur cantus introitus, offertorii, communionis et, quando post epistolam occurrit, etiam Sequentiae. Item quod in missis def. praetermittatur cantus saltem integrae sequentiae: *Dies irae etc.* et offertorii ac post easdem missas def., quae tamen ex nulla obligatione decantantur, an praetermitti possit cantus saltem alicujus partis absolutionis? S. C. resp.: Vel non celebrandas missas def. vel canenda esse omnia, quae precationem suffragii respiciunt. Die 11. Sept. 1847.

Vd.: *Credo* (inton.)

Ad dubium: An ferendus sit usus omittendi in choro partes illas tum divini Officii tum Missae, quas organi sonitus supplet? S. C. resp.: Submissa voce dicenda, quae omittuntur ob sonitum organi, quando non pulsatur,

Deservire debere Episcopo celebranti personas de Capitulo et nullo modo alios, qui non sunt de eodem Capitulo. n. 1019 die 26. Maji 1635.

MINORISTA.

1) Hebdomadarius.

Cf.: *Ordines minores.*

Ad dubium: utrum tolerari possit, ut in Collegiata, cum in choro adsunt Beneficiati Sacerdotes, unus in minoribus constitutus impleat onus suae hebdomadae in decantandis tantummodo horis canonicis vertendo „*Dom. vobiscum*“ in „*Dom. exaudi etc.*“ S. C. resp.: *Negative.* n. 4421 ad 6 die 17. Sept. 1785.

Canonicus Dignitas in Minoribus constitutus non potest in fine Officii in choro intonare Antiphonam Titularis nec dicere orationem. n. 4844 ad 6 die 23. Febr. 1839.

2) Num Vestes s. induere potest?

Vd.: *Subdiaconus* (Minor.)

Aliqua ex Dignitatibus (Cathedr. Bitunt.) in s. Ordine Subdiaconat. non constituta in processionibus aliisque solemnitatibus s. vestes deferre atque Canonicis presbyteris praecedere debet. n. 4075 ad 21 die 19. Julii 1738.

3) Utrum praedicare valeat?

Vd.: *Praedicator.*

MIRACULA.

Ad Archiepiscopum Florentinum, in cujus Dioecesi Imago gloriosae V. M. inventa fuit, pertinere formationem Processuum et examinationem Testium super verificatione et approbatione Miraculorum, quae facta asseruntur a deo in dicto loco, meritis et intercessione B. V. M. et ejus miraculosae Imaginis. n. 524 die 3. Decbr. 1616.

integre esse cantanda. Die 22. Julii 1848.

2) Abusus ad Sortilegia.

Vd.: *Sortilegia*.

3) In altaribus Latini et Graeci Ritus.

Benedictus PP. XIV.

Cum in Paroch. Ecclesiis ipsorum *Italo-Graecorum* ex antiquissimo et hactenus servato ritu nonnisi *semel in die per unum Sacerdotem* celebrare liceat, permittitur quidem presbyteris graecis suum, si velint, morem hac in parte servare; interdicitur autem latinis sacerdotibus, ne missas et alia divina Off. in dictis Graecorum Ecclesiis et super eorum altaribus majoribus extra casum alicujus necessitatis et aliorum altarum ecclesiarumque defectus et nisi ex *parochi graeci licentia*, quam nullatenus hujusmodi in casibus negare possit, celebrent.

Quia tamen ipsi graeci et Albanenses Presbyteri Nobis humillime supplicarunt, ut sibi liceat pro Sacerdotum numero *plures in die in suis ecclesiis missas celebrare*, Nos per praesentes concedimus ac indulgemus, ut in suis paroch. vel aliis ecclesiis praeter altare majus alia etiam minora altaria seu capellas s. indumentis Graecorum seu Latinorum more ornata seu ornata erigant, in quibus Latini vel Graeci Presbyteri respective suo quisque ritu celebrare valeant.

Constit. Bened. XIV. ad Italo-Graecos die 26. Maji 1742.

(Bull. r. t. XVI. p. 97. n. VIII. IX.)

Vd.: *Missae* (plures presbyt. graec.) *Missa* (Una Graecor.) *Orat. priv.* (Constit. Bened. XIV. §. 10); *Ritus graec.* (Constit. Bened. XIV.)

Benedictus PP. XIV.

§. 1. Sane dudum Dilecti Filii Pres-

byteri Latini Ritus Apostolicas Missiones per Russiam Polonicam exercentes Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum exponi curarunt, quod quum in tota Russia ac potissimum in Montibus Pokucia, in Podolia, in vastissimis Ukrainae Regionibus et in universa ferè Russia, Alba nuncupata, frequentes quidem sint Ruthenorum Unitorum Ecclesiae, rarissimae vero Latini Ritus; cumque ipsi pro Missarum celebratione lapideas sacratas Tabulas et Calices aureos vel argenteos per longa et difficilia itinera sine gravi incommodo et sine periculo confringendi easdem Tabulas et Calices secum deferre non valeant; idcirco, nisi facultas ipsis concedatur celebrandi Sacrosanctum Missae Sacrificium super dictorum Ruthenorum Antimensiis, ut vocant, et Calices eorumdem e stanno, ut moris apud illos est, confectos adhibendi, necesse ipsis erit ab ejusdem Sacrificii celebratione plerumque abstinere; multique praeterea Latini Ritus Fideles, qui ab Ecclesiis ejusdem Ritus longè degunt, Sacerdotis Latini praesentia, a quo Sacra Mysteria peragantur eisque distribuuntur, omninò carebunt, prout reipsa saepe gravissimo cum animarum detrimento per plures annos carere dignoscuntur. Proindeque demissis precibus postularunt, ut sibi concederetur hujusmodi facultas Sacrosanctum nempè Missae Sacrificium etiam sine lapidea sacrata Tabula celebrandi super Antimensiis Ruthenorum Unitorum atque in Missarum celebratione eorumdem Ruthenorum stanneos Calices adhibendi.

§. 2. Cum autem hujusmodi Missionariorum preces a dicta Cardinalium Congregatione Propagandae Fidei negotiis praeposita alterius Congregationis Venerabilium quoque Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium ad-

versus Haereticam pravitatem Generallium Inquisitorum examini et judicio de more remissae fuerint et consequenter de iis actum fuerit in Consessu coram Nobis habito die XXII. Januarii elapsi Anni 1750, Nos tunc, ut ad generale Rescriptum super his edendum maturè procederemus, quidquid olim in hac materia ab hac eadem Apostolica Sede decretum fuisset, in unum colligi jussimus, ac praeterea Venerabili Fratri Episcopo Zenopolitano, qui tunc opportunè in Curia praesens aderat, quique et antea diù in Polonici Regni Ditionibus atque in Ecclesiasticis Catholicorum Latinorum Graecorumque Unitorum negotiis, Apostolicae Sedi egregiam operam navando, versatus fuerat et deinde ad easdem Regionem et ad eosdem labores laudabiliter prosequendos non obstantibus itinerum difficultatibus expensisque, redire non dubitavit; mandavimus, ut Nos super expositorum veritate extractos redderet suamque Nobis sententiam super hujusmodi postulatis tam voce quam scripto aperiret. Nunc vero, exhibitis Nobis praecedentium Decretorum monumentis iisque per Nos accuratè perpensis, atque omnibus, quae in dictis precibus narrata fuerant, praefati Episcopi Zenopolitani testimonio comprobatis, quum is praeterea Nobis retulerit, complures esse in iis Regionibus Presbyteros Latini Ritus et quidem Deum timentes, qui in supradictis necessitatibus constituti, minimè dubitant super Antimensiis Graecorum Unitorum absque lapidea Tabula Missarum Sacra facere, ejusdemque consilium fuerit, quod sicuti Graecorum Unitorum Presbyteri, quoties id rerum opportunitas suadet, propriis Antimensiis Missarum Sacrificia offerunt super Lapideis Latinorum Tabulis, ita ad constitutam feliciter Unionem magis magisque stabiliendam non parum conducere, Latinis Presbyteris liberam

facultatem concedere, ut, ubi necessitas sic exigere dignoscatur, deficiente nimirum lapidea Altaris Tabula, Missas celebrare valeant super eorumdem Graecorum Unitorum Antimensiis; his omnibus attentè perpensis in hanc denique sententiam devenimus, ut praedictis Sacerdotibus Latini Ritus in Russia Polonica degentibus permittimus in Ruthenorum Unitorum Ecclesiis deficientibus lapideis Tabulis de more consecratis et Calicibus aureis sive argenteis Missarum Sacrificia super eorumdem Ruthenorum Antimensiis et cum Calicibus e stanno, qui apud illos in usu sunt, sine ullo conscientiae scrupulo celebrare.

§. 3. Porro, quod attinet ad Calices stanneos, omissis iis, quae repeti possent ex priorum Ecclesiae saeculorum memoria, quum scilicet et lignei et vitrei Calices in Altaris ministerio adhibebantur, ut ostensum a Nobis est in tractatu *de Sacrificio Missae* ses. 1. §. 26 et seq. *Latinae Editionis Patavinae*: nullum generale Decretum proferri potest, quo vel hodie vetitum sit hujusmodi Calicibus e stanno confectis in Missa uti, si Ecclesiarum vel Sacerdotum paupertas tanta sit, ut majoris pretii vasa comparari nequeant: *quin immò in Can.: Ut Calix, de Consecrat. distinct. 1.* haec expressa verba leguntur: *Si quis autem tam pauper est, saltem vel staneum Calicem habeat.* Et quidem ad comprobendam asserendamque hujusmodi Ecclesiae Indulgentiam plura leguntur apud *S. Thomam 3. part. quaest. 83. art. 3 ad sextum* aliosque Scriptores de hoc disciplinae capite agentes: *Quart. ad Rubricas Missalis part. 2. lit. 1. sect. 1. dub. 1. §. Colligitur, Pasqualig. de Sacrificio Novae Legis tom. 2. quaest. 764 et 765, Biss. Hierurgia Sacra in verb. Calix. §. 2.*

§. 4. Quod verò spectat ad alteram optati Indulti partem, satis quidem

constat in Ecclesia Latina nequaquam celebrari posse Incruentum Missae Sacrificium nisi super Altari, quod vel totum ritè consecratum fuerit vel saltem superimpositum habeat consecratum Lapidem, qui *Tabula Altaris* nuncupatur; qua etiam de re egimus in dicto *Tractatu de Sacrificio Missae cit. sect. 1. §. 2. et seq.* In Graeca autem Ecclesia hujusmodi sacrati Lapides minimè sunt in usu; sed ibi a pluribus jam saeculis in more positum est, ut, ubi Altare solemni consecratione totum dedicatum non fuerit, loco lapideae hujusmodi Tabulae, super Altaris Mensa aptetur Linteum quoddam Episcopali benedictione consecratum, in cujus angulis Sanctorum Reliquiae reconditae sunt, quodque vocatur *Antimention* et super ipso Sacra Mysteria conficiantur; ut apud Auctores de Rebus Liturgicis tractantes videre licet, Goar. *in notis ad Eucholog. Graecorum pag. 521* Venetae Editionis; Christianus Lupus *in Synodos General. et Provincial. in dissert. de S. Leonis IX. actis cap. 13 Bruxellen. Editionis part. 3., Renaudot in Collectione Liturgiarum Oriental. tom. 1. pag. 182. Edit. Parisien., Magni in notitia vocabulor. Ecclesiasticor. in verb. Antimensia, Card. Bona Rer. Liturgicar. Lib. 1. cap. 20. §. 2. ejusque Commentator Robert Sala tom. 2. pag. 70. numer. 4. Taurin. Editionis.*

§. 5. Quum verò nunquam Ecclesiae Latinae mens fuerit, ut Graecorum Ritus destrueret, quin potius eorum semper conservationi, quantum fas esset, nec non eorundem apud Graecos Fideles observantiae prospexerit, nunquam proinde Missarum celebrationem, quae semper hujusmodi Antimensiis a Graecis Catholicis fit, improbavit, sed eam et quidem non in partibus Orientis dumtaxat verum etiam inter Italo-Graecos permitti expressè

declaravit, ut videre licet tum in Institutione per fel. rec. Praedecessorem nostrum Clementem Papam VIII. edita, tum in nostra Constitutione, quae incipit: *Etsi Pastoralis.**)

§. 6. Quum verò in iis Regionibus, in quibus Italo-Graeci sunt, Latini quoque frequentes habitent atque ibidem tam unius quam alterius Ritus Ecclesiae adsint, ita ut absque ullo impedimento et sine gravi incommodo unusquisque Presbyter proprii Ritus Ecclesiam adire valeat, nulla sanè causa est, ob quam Latinis earum partium Presbyteris permitti debeat, contra constantem Ecclesiae Latinae disciplinam, sine sacrata Altaris lapidea Tabula Missas celebrare easque super Graecorum Antimensiis offerre; quod ipsis proinde in citata nostra Constitutione vetitum fuit.

§. 7. Sed aliter se res habent, ubi de Regionibus agitur, in quibus Latini Presbyteri ab Ecclesiis Latini Ritus longè degentes, quum sacratas lapideas Tabulas per longa itinera sine gravi incommodo et sine periculo eas confringendi secum deferre nequeant, vel Missae celebrationem penitus omittere et sic Latinos Fideles sine Sacrificio proprii Ritus et sine Mysteriorum participatione relinquere, vel eam super Graecorum Antimensiis peragere compelluntur. In hujusmodi rerum circumstantiis Apostolicae Sedis provida indulgentia jamdudum enituit; quum scilicet anno 1602 ad supplicationem tunc existentis Episcopi Vilnensis praedictae Cardinalium Inquisitorum Generalium Congregationi hac de re exhibitam, ipso etiam Praedecessore Nostro Clemente Papa VIII. approbante, rescriptum fuit: *Sacerdotes Rutheni non Schismatici in Ecclesiis Catholicorum Ritus Latini, Altaribus, Calicibus et Vestibus Sacris*

*) Hanc Constit. vide supra: *Cum in paroch.*

eorundem Catholicorum uti et Missam celebrare possint in casu necessitatis ac etiam solùm devotionis causa dummodo Ritu Rutheno celebrent. Et è contra Sacerdotes Ritus Latini in Ecclesiis Ruthenorum non Schismaticorum Altaribus et Calicibus ac Vestibus Sacris uti et Missam celebrare valeant Ritu tamen Latino. Et praedicta serventur seclusi omni scandalo et de licentia Praelatorum et Rectorum ipsarum Ecclesiarum.

§. 8. Nos igitur praemissae necessitatis intuitu atque etiam hujusmodi Decreti consideratione adducti praesentium litterarum tenore atque ex certa scientia et Apostolicae auctoritatis plenitudine, salvis praefati Clementis VIII. nostrisque super Ritibus Italo-Graecorum editis Constitutionibus et Ordinationibus, non modo relatum superius Decretum approbamus et confirmamus, verum etiam praefatis omnibus Missionariis aliisque Sacerdotibus Latinis in tota Russia Polonica nunc et pro tempore commorantibus, ut ipsi et eorum quilibet in Ecclesiis Ruthenorum Unitorum deficientibus lapideis Altarium Tabulis ritè consecratis super Sacris eorundem Ruthenorum Antimensiis Missarum Sacrificia celebrare atque etiam in hujusmodi celebratione eorundem Calicibus stanneis uti liberè et licitè possint et valeant, concedimus et indulgemus. Non obstantibus quibusvis Apostolicis seu Generalium aut Provincialium vel Synodali Concilio contrariis Constitutionibus et Ordinationibus sive Locorum, Personarum aut Ordinum Statutis, Ritibus, Usibus et Consuetudinibus etiam immemorabilibus caeterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

§. 9. Volumus autem, sicut in praemisso Decreto expressè cautum reperitur, ut dicti Missionarii et Sacerdotes Latini, etiam quum eos vigore praesentis concessionis super Ruthenorum

Unitorum Antimensiis Missam celebrare contigerit, Latino semper Ritu eandem celebrare teneantur; firma nimirum et in suo robore permanente Apostolica Constitutione a fel. rec. Praedecessore quoque Nostro S. Pio Papa V. edita, quae incipit: *Providentia Romani Pontificis, constitut. 12. tom. 2. Bullar. Rom. Edition. Luxemburg.,* per quam omnes facultates et Indulta tam Graecis, ut Missas et Divina Officia Latino ritu celebrare possint, quam etiam Latinis concessa, ut eadem Graeco Ritu peragere valerent, revocata atque perpetuò sublata fuerunt, quamque Nos etiam earundem praesentium tenore, quatenus opus sit, dictaque auctoritate confirmamus et innovamus.

§. 10. Volumus insuper, ut iidem praesenti Indulto celebrandi super Graecorum Antimensiis in praedictorum Ruthenorum Ecclesiis dumtaxat (quemadmodum etiam in praemisso Decreto legitur) uti et gaudere possint, si verò eosdem in aliqua Latina Ecclesia seu in domesticis Latinorum Oratoriis, quae forsitan auctoritate Apostolica in hujusmodi Latinorum privatis Domibus cum licentia celebrari faciendi, quae adhuc vigeat, erecta fuerint, Sacrosanctum Sacrificium offerre contigerit, illud vel super Altari consecrato vel super lapidea pariter consecrata Tabula, quae etiam Altare portatile appellatur, non autem super Antimensiis hujusmodi celebrare omnino debeant.

Datum Romae die 29. Mart. 1751.

(Bull. r. t. XVIII. p. 205.)

4) In Altarib. et Eccles. praescriptis.

Cf.: *Missa* (transl. ab uno etc.)

Per Episcopum cogendos esse omnes, ad quos spectat, ut missas in altaribus vel capellis praescriptis et non in primo obviis et commodioribus celebrent. n. 1611 ad 1 die 25. Sept. 1649.

Missae celebrandae sunt in ecclesiis per testatorem designatis sub poenis arbitrio Ordinarii. S. C. C. 15. Maji 1728.

Innocentius PP. XII.

(Facultas pro DD. S. R. C. Cardinalibus in Adjuutores Visitationis Ecclesiarum transferendi celebrationem missarum ab uno ad aliud altare.)

Ubi contigerit alicui altari etiam pro defunctis privilegiato seu capellae tam magnum missarum numerum ex variis legatis impositum esse, ut singulis diebus praescriptis nequeat illis satisfieri, etiam per translationem partis missarum hujusmodi ad aliud altare, seu altaria etiam non privilegiata videritis (Cardinales) expedire, re tamen diligenter perspecta, statuere et ordinare, ut in eisdem altaribus commodius ac plenius piae defunctorum voluntati satisfiat, ita quod missae ad altaria alia hujusmodi, ad quae illarum celebrationem transtuleritis, celebratae, illis pro quibus celebrantur, perinde suffragentur ac si ad altaria privilegiata seu alias juxta eorundem def. voluntates celebratae fuissent, caeteraque omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna, etiam talia sint vel fuerint, quae magis specialem, specificam et expressam requirerent mentionem, facere, dicere, gerere et exequi libere et licite possitis tenore praesentium plenam et amplam facultatem concedimus. Non obstantibus constitutionibus etc.

Datum Romae 16. Jan. 1693.

(Bull. r. t. VII. p. 207.)

Vd.: *Indulg.* (pers. privil.); *Missae* (descriptio, praecipue decr. II.); *Missae* (oblig. celebr.); *Stipendium*; *Indulg. altaris* (Dies); *Altare privileg. Edictum Clem. XI. die 1. Oct. 1704.* (Bull. r. t. VIII. p. 451.)

5) In altari, ubi est tabernaculum.

Vd.: *Instruct. Clem. S. XIV. n. 1. 2. etc.*

6) In altari portat. post consecrat. ejusdem legenda.

Vd.: *Consecratio altarium plurium* (modus, decr. n. 4565 ad 6.)

7) SS. Angelorum.

Vd.: *Missae de Requ. pro Infantib.*

8) De Apparitione B. V. M.

Vd.: *Missae vot. B. V. M. de Apparit.*

9) Applicatio a Paroch. non Canon

Vd.: *Missae* (duae non sunt leg. etc. — decr. Bened. XIV.); *Patron. loci* (Oblig. Cleri saec. decr. 22. Mart. 1817); *Stipend.*; *Tabella Missar.*; *Missae* (descriptio); *Applicatio missae*; *Missae conv.* (appl.); *Missae de Requ.* (appl.); *Col. param.* (in missa de Requ.)

Ad dubium: An Regul. expositi tamquam parochi pro populo applicare debent? Vd.: *Regul.* (Off.; decr. n. 5050.)

Ad dubium: 1. Parochus Heistermacen. in Keken hujus dioecesis propter necessitatem populi licentiam obtinuit diebus dominicis et festis bis celebrandi in Ecclesia paroch. et pro hoc officio suscepto a parochianis, qui alias multo majoribus sumptibus, quod non possunt, sacellanum sustentare tenerentur, remunerationem quandam accipit. Quaeritur: num respectu hujus remunerationis obligetur etiam hanc missam secundam, de cujus applicatione nihil stipulatum est, pro populo sive parochianis remunerationem praebentibus applicare pro futuro, uti ipsam missam parochialem; numque pro praeterito propter omissam bona fide hanc applicationem aliquid restituere teneatur?

2. Deinde saepius in hac dioecesi contingit propter latitudinem parochia-

rum, quod in iis sacella inveniantur, ubi dominicis et festis diebus sive ex fundatione sive ex contractu parochi et parochianorum missa celebrari debeat pro incolarum ab ecclesia parochiali remotorum, inprimis seniorum et infirmorum necessitate vel commoditate. Viget consuetudo, quod si per fundationem vel contractum de applicando sacro ad certam intentionem nihil statutum est, in ejusmodi casibus celebrans pro alio stipendio applicet vel ad propriam intentionem. Quaeritur: num haec consuetudo, de cujus legalitate dubitatur, pro futuro permittenda et num pro praeterito aliquid exinde restituendum sit ab iis, qui bona fide ea usi sunt? S. C. resp.:

Ad I. Negative in casu.*)

Ad II. Posse permitti.

Die 14. Junii 1845. n. 5014.

Mechlinien. Missae pro Populo.

Cum aliquae controversiae super praecepto offerendi pro populo missae sacrificium inter plerosque Belgicae ditionis parochos excitatae fuissent, Marianus Verhaeven, SS. Canonum in universitate Lovaniensi Antecessor, canonicam lucubrationem typis edidit, qua suborta quaestionum capita dirimenda suscepit. Et quamvis apost. Constitutionum auctoritate et hujus S. C. declarationibus innixus propositum argumentum doctrina et eruditione summa demonstrasset, nihilominus haud levia dubitationum germina superfuerunt, quae casum, de quo agitur, peculiariter afficere visa sunt. Itaque egregius ille vir, ut in interpretandibus constitutionibus apost., quas post Conc. Trid. de gravissima hac re SS. PP. ediderunt, ne latum quidem unguem a mente S. Congregationis interpretum Concilii Trid. recedat, lau-

*) Vd.: *Applic. missae* (parochi; decr. n. 5146.)

dabili ductus obsequio sapientissimam Ordinis vestri Sententiam rogavit hisce, quae sequuntur, propositis dubiis:

I. An parochi debeant SS. Missae Sacrificium pro populo offerre diebus dominicis et iis etiam festis diebus, qui per indultum apost. die 9. Apr. 1802 suppressi sunt, licet hujus obligationis nova promulgatio ab Episcopo Dioecesano non fiat?

II. An consuetudo umquam legitima haberi possit, vi cujus parochi non applicant pro populo SS. Missae Sacrificium aut dominicis aut saltem praedictis festis diebus suppressis?

III. An parochi ipsi SS. Missae Sacrificium pro populo offerre debeant, si legitima causa non impediatur, an vero per alium, ex. g. sacellanum aut presbyterum advenam huic officio satisfacere possint?

IV. Quid censeri debet de consuetudine, vi cujus parochus diebus dominicis et festis missam priv. pro pio aliquo benefactore applicat et nullo legitimo impedimento detentus, onus celebrandi missam pro populo in alium sacerdotem transfert?

S. C. EE. CC. Concilii Trid. interpretum censuit rescribendum:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative.

Ad III. Affirm. ad primam partem, negative ad secundam, excepto casu verae necessitatis et concurrente causa canonica.

Ad IV. Consuetudinem, de qua agitur, non esse attendendam.

Die 25. Sept. 1847.

P. Card. Ostinius Praef. H. Archiep. Militenus Secr.

Ad dubium: I. An missa paroch. debeat pro populo applicari diebus festis per indultum anno 1802 translatis in dominicam sequentem?

II. An sit applicanda diebus festis, qui per Clem. XIV. retenti, anno 1802, auctoritate Pii VII., fuerunt abrogati?

III. An sit nunc applicanda etiam diebus festis, qui ab anno 1771 fuerunt per Clem. XIV. suppressi, id est, omnibus festis in Catalogo Urbani VIII. recensitis?

Et quatenus affirmative, Episcopus Namurcensis petit humiliter:

I. Absolutionem pro praeterito supra missas in festis suppressis hactenus non applicatas per parochos aliosque Sacerdotes in sua dioecesi curam animarum gerentes.

II. Quoad futurum, attento quod festa per Clem. XIV. suppressa jam a 70 circiter annis celebrari missaque in iisdem applicari desierint, petit idem Episcopus, quatenus S. V. cum Clero dioecesis Namur. benigne dispensare dignetur, ita ut obligatio missam pro grege applicandi saltem non excedat dies festos per Clem. XIV. reservatos, quorum catalogus hic est? (scilicet praeter singulos dies dominicos): *Circumcisio, Epiphania, fer. 2. p. Resurr., Ascensio, fer. 2. p. Pentec., Corp. Chr., quinque dies dicati B. V. M., festa SS. ap. Petri et Pauli, S. Steph. protom. et unius tantum principalioris patroni.*

Relatis SS. D. N. per Subsecretar. S. C. Concilii adjunctis precibus, datis nomine Amplitudinis Tuae, Eadem S. S. per praesentes ad eandem Amplitudinem Tuam dari jussit eidemque notificari, juxta resolutiones alias editas a S. C.: *Missam pro populo esse a parochis suae dioecesis applicandam omnibus diebus festis, etiam a S. M. Clem. XIV. retentis et deinceps a S. M. Pio VII. die 9. Apr. 1802 suppressis; attentis vero peculiaribus circumstantiis, Eadem S. S. facultates necessarias et opportunas eidem Amplitudini Tuae impertita est, absolvendi singulos parochos super omnibus omissionibus, injuncta unicuique celebratione unius missae, supplente*

in reliquis ipsa S. S. de Thesouro Ecclesiae etc.

P. Card. Polidorius Praef.

J. C. Alessi de Castellis Secr.

Romae, 27. Jan. 1842.

Ad dubium: I. An parochi Cathedr. et Colleg. Eccles., qui sunt primae dignitates vel membra earumdem, excusentur ab applicatione sacrificii diebus dominicis et festis per missam conv., quae in choro quotidie canitur; aut ultra praedictam conventual. parochi supradicti teneantur celebrare et applicare supradictis diebus pro parochianis?

II. An quando per turnum ad supradictos parochos spectat missam conv. canere diebus dominicis et festis, teneantur iidem celebrari facere pro parochianis aliam missam propriis sumptibus?

S. C. resp. Ad I: Negative quod primam, Affirm. quoad secund. partem.

Ad II: Affirmative.

Die 31. Maji 1708.

Ad dubium: An Dignitates et Canonici Colleg., quibus incumbit cura animarum, teneantur ad eandem applicationem (missae nempe conv.) dictis diebus festis, quibus debent applicare pro populo, vel possint applicare simul pro populo et pro benefactoribus in casu?

S. C. resp.: Affirmat. ad primam partem, negat. quoad secundam et amplius. Die 11. Febr. 1731.

Ad dubium: An occurrente, quod archipresbyter parochus celebret missam conv. vel alias legitime absit, seu sit impeditus tam in dieb. festis quam ferial. Quadragesimae, teneatur celebrari facere per alium missam paroch. pro populo?

S. C. resp.: Affirmat., sed cum applicatione diebus festis tantum. Die 11. Maji 1720.

R. P. a Secretis S. C. de Prop. Fide sacri hujus Ord. definitioni subjecit,

de mandato SSmi., facultatem a Vicario ap. Sylvaeducis indulgendi aliquoties parochis vicariatus, ut per sacellanos suos implere possint onus applicat. missae pro populo.

S. C. C. censuit rescribendum: *pro facultate indulgendi parochis vicariatus ut per sacellanos missam pro populo applicare possent in casibus verae necessitatis et dummodo ex canonica causa fiat*, facto verbo cum SSmo.

Factaque de praemissis per Subsecr. S. C. relatione SSmo. Eadem SS. resolutionem S. C. in omnibus benigne approbavit et confirmavit; proptereaque eadem S. C. supradictam facultatem superius descriptae resolutionis forma ac tenore in omnibus et per omnia impertita est.

P. Card. Polidorius Praef. S. C. Alessi de Castellis, Secr. Die 11. (13.) Mart. 1843.

Ad dubium: An Parochi teneantur omnibus diebus festis applicare Sacrificium pro populo? S. C. C. resp.: Dandas esse resolutiones alias hac de re editas et signanter in Nullius Inquietum. Abbati 30. Aug. 1698 tenoris, ut infra: Cum praecepto divino iis, quibus animarum cura commissa est, mandatum sit pro ovibus suis Sacrificium offerre, saepe alias S. C. C. censuit: Parochos teneri pro parochianis Sacrificium applicare et praecipue in dubio applicationis Sacrificii proposito et resp. soluto die 10. Maji 1692 his verbis concepto: *An parochus missam celebrare teneatur et Sacrif. applicare pro parochianis in diebus dominicis et festis sive habeant Congruam sive non?* S. C. censuit: Teneri, nec posse iisdem diebus aliam eleemosynam recipere; ac proinde idem nunc respondendum esse censuerunt PP. quoad Parochos Nonantulanae Dioecesis, addentes insuper, quod E. V. pro suo pastoralis zelo detrectantes pa-

rochos compellere non gravetur. Die 13. Febr. 1699.

Hoc decret. confirmatum est per Constitut. Innoc. XII. die 24. Apr. 1699. (Bull. r. t. XII. p. 315.)

Benedictus PP. XIV.

§. I. Quum enim s. Tridentinum Concilium, ne Animarum cura negligatur, non uno in loco Episcopis mandet, ut quotiescumque opus fuerit, idoneos Vicarios cum certorum fructuum assignatione ad eandem curam exercendam eligunt ac deputent, ut videre est in *sess. 6. c. 2; sess. 7. c. 5. et 7; sess. 21. c. 6, sess. 25. c. 16*; non raro autem eveniat, ut aliquam Ecclesiam Parochiali vacante, Vicarius pariter ad implenda hujusmodi Ecclesiae onera, usque ad novi Rectoris electionem, ab Episcopo deputari debeat, eodem Concilio Tridentino id jubente *sess. 24. c. 18. de Reform.*; nonnulli ex hujusmodi Vicariis nituntur se ipsos a praedicta obligatione subtrahere, vel ex eo quod habituali cura penes alium vel alios residente ipsi actualem dumtaxat exerceant; vel quod ipsi sint ad nutum amovibiles; vel ad breve tempus hujusmodi curae sint addicti: ut nihil hic loquamur de Parochis Regularibus, qui a praedicta applicatione Missae pro Populo nunquam alienos se ostendunt. Itaque mens Nostra et sententia est, sicuti etiam pluries a praeaudatis Congregationibus judicatum fuit ac definitum, quod omnes et singuli qui actu Animarum curam exercent et non solum Parochi aut Vicarii Saeculares, verum etiam Parochi aut Vicarii Regulares, uno verbo, omnes et singuli, de quibus supra dictum est, atque alii quicumque, etiam specifica et individua mentione digni, aequè teneantur Missam Parochialem applicare pro Populo, ut praefertur, ipsorum curae commisso.